

causa subvenitur: ut lib. 29. tit. 5. digest. 14. traditur. est autem pubertas in masculo 14. annus completus, in femina vero 12. ut lib. 28. tit. 1. dig. 5. quodsi aliquibus, donec puberes fiant, alimenta legata sint; masculus, donec 18. annum compleverit, femina, donec 14., percipit, ut lib. 34. tit. 1. dig. 14. Impubes falsum non committit, ut lib. 48. tit. 10. dig. 22. Adulterium post pubertatem committitur, ut dig. 36. tit. 5. ejusdem 48. libri. *Bals. Schol.* digest. 14. tit. 5. lib. 29. cit. cap. 14. tit. 16. lib. 35. Basilicorum, quod sic habet. Si impubes pubertati appropinquans, prope dominum dormierit, quem occideretur, neque eam rem evulgavit, punitur. Cetera. Dig. 5. tit. 1. lib. 28. est thema ult. c. 5. tit. 1. l. 35. quod sic narrat: Masculus ubi complevit 14. annos, testamentum facit; femina vero, ubi 12. Titulus 1. l. 34. digestorum, positus est in lib. 44. tit. 14. Digestum 22. tit. 10. lib. 48. est cap. 22. tit. 41. lib. 60. Basil. quod sic tradit: neque in Libonianum S. C. neque in falsi crimen impubes incidit. Dig. 36. tit. 5. l. 48. est cap. 40. t. 37. lib. 60. Basil. quod dicit: Post pubertatem committit minor annis adulterium, legique est obnoxius.

*Titulo IX. cap. 25.* Ceterum de istiusmodi (vide titulum hujus capituli) in digestis etiam tractatur. Ait enim lib. 19. tit. 2. dig. 7. quod qui servo venenum pro medicamento dedit, ad ipsius pretium præstandum teneatur, ut qui causam mortis præbuerit. Similiter etiam de obstetrice digest. 9. lib. 10. tit. 2. dig. 4. In hereditate, reperta mala medicamenta, aut magici, similesve libri, inter heredes non dividuntur, sed iudicis arbitrio corrumpuntur. Lib. 18. tit. 1. dig. 35. Venena mala non venduntur. Si tamen (aliis materiis) mista, utilia sint, ut de antidoto dici debet, venduntur. L. 47. tit. 10. dig. 15. Qui medicamento alicujus mentem alienaverint, tenentur injuriarum actione. Si vero qui astrologiam, aliamve vetitam divinationem exercet, consultus, aliquem furem dixerit, qui non erat; tenetur constitutionibus. L. 48. tit. 8. dig. 2. Tenetur lege (Cornelia) de ficiariis, qui venenum necandi hominis causa